

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De Fidei Formvlarvm Praecipve Avgvstanae Confessionis Ivstitia Et Vsv

**Bernhold, Johann Balthasar
Schifflin, Johann Sigismund**

Altorfii, [1730]

§IX.

[urn:nbn:de:bsz:31-67824](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-67824)

§. VIII.

Definitioni subiungimus receptae παιδείας ergo *synonyma* Synonyma formulae fidei uocabula. Ea sunt uel biblica, uel ecclesiastica. Biblica sunt: ὑποτύπωσις ὑμαινόντων λόγων, II. Tim. I 13. τύπος διδασχῆς, Rom. VI. 17. (de quibus infra latius) ecclesiastica formularum fidei synonyma sunt partim patrum graecorum, partim latinorum. Patribus graecis frequentata sunt: Πίσις, ἐκθεσις τῆς πίστεως, ὁμολογία τῆς πίστεως, τῆς θείας διδασκαλίας ὁμήμα, κανὼν τῆς ἀληθείας ἀκλινης, ἰδίωμα πίστεως, καὶ τῆς ἐκκλησίας χαρρατὴρ, παραδόσις καὶ διδασκαλία καὶ πίστις τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, μαθήμα. Latinis Patribus e multis usitatissima sunt: Fidei regula immobilis et irreformabilis; norma praedicationis; fidei confessio siue professio, et quod maxime usu uenit, symbolum. Nouissime ueniunt titulo: Libri Concordiae, librorum normalium, et corporis doctrinae. [*de his et aliis titulis conf. CASP. LOESCHERI Diss. de Formularum fidei necessitate §. 2. ABR. CALOVII Criticus Sacer. p. 3. IOH. HERM. AB ELSVICH de Reliquiis Papatus Eccl. Luth. temere afficitis p. 55. B. IOH. FRANC. BVDDEI Isagoge p. 439. 440. affinitatem quandam cum formulis fidei habent litterae ueteris Ecclesiae communicatoriae et formatae, teste CARPZOVIO l. c. p. 6.*]

§. IX.

Iustitiam cum fidei formulis tribuo, pono, Christianum coetum, ad quem fidei formulae spectant, in iis condendis et proponendis *iuste* agere, i. e. loquor de ecclesiaste quodam *iure* tanquam eius attributo quodam. Ius ecclesiasticum in nullo facto acquisitum, facta nimirum plurium in unum, qui Christianus appellatur, coetum coalitione. E cuius consideratione rite et sponte sua fuit aliqua eiusmodi facultas, intimoque nexu cum eadem cohaeret, quam non modo nullae prohibent leges, sed et quaedam eandem insinuant et suppeditant;

B

immo

Form. fidei
Iustitiae ex-
plicatio et
diuisio.

immo, positis quibusdam circumstantiis, leges praeicipientes et iubentes praesto sunt. Vnde Ecclesiae non solum *ius in sensu permissiuo*, sed et *praeceptiuo* ad formulas fidei praescribendas competit. Priori respectu iustitia stricte dicta formularum fidei condendarum Ecclesiae competit; posteriori, necessitas quoque eidem incumbit; utrumque generali Iustitiae uocabulo includere fas erit. [qui debet aliquid facere, uel non prohibetur, is quoque ius agendi habeat necesse est. Sunt uerba Ill. GUNDLINGII in *Via ad Veritatem Iurisprud. natur. Cap. I. th. 58.*] secundum dicta probabimus iam, Ecclesiam eiusmodi pollere iustitia siue *iure*, et quidem primum sensu *permissiuo*. Ecclesia considerari potest, uel *communibus* cum aliis societatibus humanis gaudens *iuribus*, uel *singularibus* prorsus ipsique peculiaribus. Priori modo spectatae, ex eius indole et habitu uindicabimus hocce ius, *directo* siue proximo, & remoto siue *indirecto* argumento; posteriori modo, e singularissima Christianae Ecclesiae constitutione exstruemus *generale* argumentum directum pariter et indirectum; quod *specialibus* id ipsum ius insinuantibus dictis Scripturae S. confirmabimus. Quod tandem ad *ius praeceptiuum*, necessitans et obligans attinet, confectum id dabimus recensendo quosdam casus, quibus positis, ex diuinarum legum praescripto, Ecclesia ad formulas fidei condendas et praescribendas obligatur, quae dicta si illustrauerimus huius *moris antiquitate* in uera Ecclesia recepta et approbata, nihili, quod in praeliminari tractationis nostrae capite omiserimus, iuste erimus accusandi.

§. X.

Probat ius permissiuum argumento generali, directo, e societatis eiusque indole.

Ecclesiam, prouti consideramus *communibus* cum aliis quibusuis societatibus gaudentem *iuribus*, permissiuum formulas fidei proponendi habere ius, *directo* argumento sic probamus: ius omnibus societatibus commune est, ut quicquid ad legitimum, quem